

Doc. 16

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Doc. 16

[1253 giugno?, Napoli]

Conradus Dei gratia Romanorum in regem electus,
Ierusalem et Sicilie rex Petro de Casoli gratiam suam et
bonam voluntatem.

2

Noster instanter, quem in subditorum semper
emolumenta dirigimus, sollicitatur affectus, qualiter
regni nostri Sicilie preclara possessio, sicut rerum
ubertate victualium ad dispositionem divini numinis
natura profluente tripudiat, sic ad nostre provisionis
edictum, virorum perfectione scientium, fortuna favente,
valeat fecundari. Ad quod, etsi progenitorum nostrorum
nos memoranda prioritas invitet exemplis, dum
diversarum scientiarum dudum in regno studia floruisse
comperimus et multos artium beneficio liberalium
munimentis provectos ad ardua, quos nativa ruditas
honoris et glorie reddidisset indignos, sic nos super
his et priorum tempora reviviscere volumus ut que
per intervalla quantalibet quassata videntur, iam passa,
desidiam sub iuventutis nostre primordiis seniliter
iuvenescent: ac dum fideles nostri regnicole parata
sibi mensam propositionis inspexerint, non solum
supervacuum sibi reputent aliena proinde flagitare
suffragia, sed gloriosum existiment externos alios ad
gratitudinis huiusmodi participium evocare. Cumque
civitatem Salerni, antiquam profecto matrem et
domum studii, tam marine vicinitatis habilitas, quam
terrene fertilitatis fecunditas reddant utiliter tanto

Non ci sono informazioni relative a questo personaggio, il cui
nome, in alcuni testimoni, è sostituito con quello di Pietro de
Hibernia. Anche per la scelta del nome da mettere a testo si
è deciso di seguire i mss. R3 e S, che sembrano offrire una
versione del documento più vicina all'originale.

negotio congruentem, generale studium in civitate ipsa mandavimus reformari, ut, quam localis amenitas rerum placiditate gratificat, docentibus et addiscentibus undique collecta commoditas efficiat gratiosam.

Te igitur, quem antike fidei prescripta sinceritas et prestita dudum felicitis memorie domino patri nostro grata servitia nobis efficaciter recommendant, de cuius etiam experta scientia, probitate cognita et doctrina probata in conspectu nostro iam pluries multorum testimonio claruerunt, ad celebranda communis studii eiusdem festiva solennia hilariter providimus invitandum, fidelitati tue precipiendo mandantes, quatenus de favore et gratia nostra securus ad civitatem ipsam, ob reverentiam maiestatis nostre, personaliter rector accedas. Et ut certam concipias de gratie nostre liberalitate fiduciam, firmiter tenere te volumus quod in adventu tuo, in signum fecundioris auspicii, de valore annuo XII unciarum auri tibi faciat nostra munificentia provideri.

3

4

5

6

Simile espressione si trova anche nei docc. 13 e 18.

L'espressione si trova anche nel doc. 13.

Cfr. *II Par.*, 29, 18; *I Mac.*, 1, 23. Simile espressione si trova nei docc. 13 e 28.

Per la scelta di questa lezione ci si è basati sul fatto che essa è riportata dai due mss. (R3 e S) che correttamente indicano come autore del mandato Corrado e non Federico.

7

8

Datum in obsidione Neapolis.

Su «regere» come verbo specifico relativo all'insegnamento
cfr. anche la nota 3 all'edizione del doc. 9.

Per un simile gioco di parole costruito su iuventus e senilitas
cfr. anche il doc. 15.